

& Principibus laudes referentes , hymnum *TE DEVM  
 LAVDAMVS* decantabant. Atque in his solennibus  
 acclamationibus etiam Litaniarum usus fuit. Andreas  
 Presbyter in *Chron. Bavar. pag. 15.* de Arnulphi Imp.  
 nepotis Ludovici Germanici ex fratre, victoria ulti-  
 ma de Nortmannis : *Arnolfus Imper. cum Nortmanni  
 pessimi pagani Episcopia & monasteria Sanctorum devasta-  
 rent, & Episcopos unà cum Canonicis, Monachis & San-  
 ctimonialibus indifferenter necarent, conducto exercitu in  
 fines Occidentalium Francorum, ubi hostes confederant,  
 devenit. Tunc ceteris omnibus præ multitudine nimia  
 paganorum, & ob pedestre bellum Francis eatenus inscli-  
 tum, desperantibus, Rex solus in Rege Regum spem suam  
 ponens, & exhortationibus validis ad ulciscendum Chri-  
 stianorum sanguinem incitans milites, ipse vexillum an-  
 tiferens præliari cœpit, & mox subveniente gratiâ DEI  
 victoria cessit ad Christianos, ita ut amnis abveus cui in-  
 sederant, & antea illis pro muro fuerat, tunc cadaveribus  
 interceptus, universis stupentibus succus appareret. In eo  
 prælio cæsi sunt duo Reges Nortmannorum & Danorum,  
 Sigefridus & Godefridus, necnon Regia signa sedecim ab-  
 lata, & in Bavariam Ratisponam pro testimonio sunt  
 transmissa. Tunc quoque Rex cum omni exercitu ad Le-  
 tianas procedens, laudes magnificas DEO celebrare præ-  
 cepit, qui talem suis tribuit triumphum, ut uno de parte  
 Christianorum occiso, mille de parte paganorum perirent  
 usque ad unum. Has laudes publicas non fuisse car-  
 mina in laudem Principis composita, quale hoc præ-  
 sens est, sed meras acclamationes, asserit Du Fresne  
 in *Glossar. voc. Laus.* Quod uti regulariter verum esse  
 fateor, ita non video, cur fieri non possit, quò minus  
 & hoc præsens, & fortè alia quædam illis acclama-  
 tio-*